Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26080
Copyright: Admont, Benediktinerstift

debeo. Et si in euangeliis ac prophetis peruersi homines inueniant quod ni
tantur reprehendere, miraris si in tuis libris et maxime in scripturarum expo
sitione quae ut obscurissimae sunt, quaedam a recta linea discrepare uideantur.
Et hoc dico, non quod in operibus tuis quaedam reprehendenda iam censeam. Neque enim lec
tioni eorum umquam operam dedi, nec horum exemplariorum apud nos copia est praeter So
liloquiorum tuorum libros et quosdam commentariolos in psalmos; quos si uellem discu
tere, non dicam a me qui nihil sum, sed a ueterum graecorum docerem interpretationibus dis
crepare. Vale mi amice carissime, aetate fili, dignitate parens; et hoc
a me rogatus obserua, ut quicquid mihi scripseris, ad me primum facias peruenire.

DOMINO DILECTISSIMO — LITTERAE AUGUSTINI AD HIERONIMUM.

et cultu sincerissimo caritatis obseruando atque amplectendo 67
fratri et compresbytero Hieronimo Augustinus. Habeo gratiam quod pro subscripta sa
lutatione mihi plenam epistolam reddidisti, sed breuiorem multum quam ex te uel
lem sumere tali uiro, a quo tempora quantalibet occupet nullus sermo pro
lixus est. Quamquam itaque nos negotiorum alienorum eorumque saecularium curis circum
stemur ingentibus, tamen epistolae tuae breuitati facile non ignoscerem, nisi cogi
tarem quam paucioribus meis uerbis redderetur. Quare aggredere quaeso istam
nobiscum litterariam collationem habere, ne multum ad nos disiungendos liceat
absentiae corporali, quamquam simus in domino spiritus unitate coniuncti, etiamsi ab
stilo quiescamus et taceamus. Et libri quidem quos de horreo dominico elabo
rasti, pene te totum nobis exhibent. Si enim propterea te non nouimus quia faciem
corporis tui non uidimus, hoc modo nec ipse te nosti, nam tu quoque non uides eam. Si
autem tibi non ob aliud notus es nisi quia nosti animum tuum, et nos eum mediocriter
nouimus in litteris tuis, in quibus benedicimus dominum, quod tibi et nobis omnibusque fratribus
qui tua legunt te talem dedit. Liber quidam tuus inter cetera non diu est quod ue
nit in manus nostras, quae sit eius inscriptio nescimus adhuc. Nam enim hoc codex